M. ATTII PLAVTI

LOCVM IN MOSTELLARIA

A FRIDERICO RITSCHELIO DEPRAVATVM

NATIVAE SANITATI REDDIDIT

THOMAS VALLAVRIVS

Ex Actis R. Societatis Taurinensis Scientiarum finibus proferendis
mens. iannar.

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX OFFICINA REGIA
AN. MDCCCLXX.

M. ATTII PLAVTI

LOCVM IN MOSTELLARIA

A FRIDERICO RITSCHELIO DEPRAVATVM

NATIVAE SANITATI REDDIDIT

THOMAS VALLAVRIVS

Verissime illud a M. Antonio Mureto scriptum est in libro Variarum Lectionum nono (1), « miris videlicet modis deformatum esse M. Attium Plautum, atque ita male acceptum multis admodum locis, ut, siquis eum ab inferis Aesculapius excitet, iuraturus sit, fabulas illas suas non esse ». Quae quidem verba, a Mureto prolata abhinc annos trecentos, etiamnum Plautinis comoediis iure aptari posse arbitror; praesertim postquam ad has evulgandas animum appulit Fridericus Ritschelius. Siquidem clarissimus hic noster collega vetustis quibusdam codicibus, manu exaratis, plus aequo tribuens, plurima novavit, quae intelligentis iudicii homines multaque doctrina eruditi fastidiose repudiant (2). Huc accedit, quod noster profunda quadam persuasione ductus, Plautinos versus intra certas quasdam

(1) Cap. XIII. De locis quibusdam e Truculento Plautina. — De caussis corruptae passim lectionis Plautinae docte disserit Aemilius Benoist in praefatione Rudentis, evulg. Lutetiae Parisiorum an. MDCCCLXIII.

(2) De lectionibus Plautinis ex Codice Ambrosiano petitis, praeter Weisium longe a Ritschelio differt Geppertus, V. Cl. Vide *Ueber den Codex Ambrosianus.*

leges semper stetisse, haud raro, vel nulla codicum auctoritate, illos ad arbitrium fingit, ne a receptis Comicorum numeris desciscere videantur. Qua quidem in re quantopere sua Ritschelium opinio fefellerit, paucis confirmare aggredior, antequam venio ad Plautinae Mostellariae locum, in Ritscheliana editione insigniter depravatum.

Horatius, cui nemo fidem sane derogandam arbitrabitur in iis quae pertinent ad versuum mensuram, Horatius, inquam, in Epistola ad Pisones (1) conceptissimis verbis testatur, poëtas romanos, praesertim vero Accium, Ennium et Plautum in versibus condendis, aut nimia festinatione, aut negligentia, aut poëticae artis ignoratione, saepe a certa metri lege discessisse; et proavos carpit, quod nimis patientes aures Plautinis numeris accommodarent. Horatianae huic sententiae aperte suffragatur Tullius (2), quum scribit, Comicorum senarios adeo abiectos esse, ut nonnunquam vix in eis numerus et versus intelligi possit. De quo peccato Terentium quoque criminatur

(1) ..... Hic (iambus) et in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus, et Enni
In scenam missos magno cum pondere versus,
Aut operae celeris nimium curaque carentis,
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poëmata iudex,
Et data romanis venia est indigna poëtis.
....
At vestri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales, nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati; si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.
Vers. 258-274. Cf. Epist. II, 1, 58.

(2) At Comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic saepe sunt abiecti, ut nonnunquam vix in eis numerus et versus intelligi possit. ORATOR, cap. LV.

Quintilianus (1), etsi elegantissimas illius fabulas appellat. Nec mirum si Venusinus poëta, Cicero et Quintilianus, viri doctissimi, Comicorum versus culpent, a metri legibus saepe desciscentes; quum certissimis testimoniis (2) constet, vulgus ipsum romanum adeo teretes aures habuisse, ut huiusmodi poëtarum peccata haud raro notaret.

Hoc igitur primum positum sit, antiquissimorum scriptorum iudicio planissime confirmari, Comicos latinos, in versuum dimensione, artis leges saepe neglexisse. His autem vetustioribus iuvat addere Terentianum Maurum, quem nonnulli Martialis aetati supparem faciunt. Hic videlicet in poëmate suo (3) testatur, comicos poëtas romanos iambum saepe vitiare, in metra peccare, arte non inscitia, eorumque versus a soluta oratione paullum differre. Haud aliter sentit Rufinus (4), grammaticus seculi V christiani, cuius haec sunt verba: « Nostri Comici modo trimetris, modo addito quadrante vel semisse posuerunt, idest semipede adiecto, vel integro pede iambo, vel sesquipede...; quumque (versus) sexdecim syllabis, iuxta ius proprium, stare debeant, plerumque inveniuntur viginti aut amplius syllabarum. Hinc existimantur metrum non tenuisse nec sua lege composuisse ». Postremo

(1) ... Licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur: quae tamen sunt in hoc genere elegantissima, et plus adhuc habitura gratiae, si intra versus trimetros stetissent. De Institutione Oratoria II, 1, 59.

(2) Illud autem nequis admiretur, quonam modo haec vulgus imperitorum in audiendo notet... Omnes enim tacito quodam sensu, sine ulla ratione, quae sint in artibus recta ac prava diiudicant: idque cum faciunt in picturis et in signis..., tum multo ostendunt magis in verborum, numerorum, vocumque iudicio. De Oratore III, 51.

(3) De litteris, syllabis, pedibus et metris.

(4) De metris comicis Plauti, Terentii et aliorum.

Priscianus grammaticus (1), qui imperatoris Iustiniani aequalis dicitur, narrat, fuisse qui « abnegarent, ulla esse in comoediis metra; vel ea quasi arcana quaedam et ab omnibus doctis semota, sibique solis esse cognita confirmarent ».

Multa praeterea mihi liceret in medium proferre ex metricis recentioribus petita. Plerique enim, a Bentleio et Reitzio ad Lucianum Muellerum (2) et Guilelmum Studemundum (3), veteribus scriptoribus adstipulantur, quorum testimonio sum usus (4). Sed ne nimius hac in re sim, quam extra omnem dubitationem iam posuisse videor, ceteris praetermissis, una Gepperti (5) auctoritate contentus ero, viri apud Germanos maximae existimationis, qui totus in eo est ut confirmet, Plautinos versus non ad metri, sed ad rhythmi rationem esse concinnatos, ac propterea certum in iis pedum ordinem non esse spectandum.

Quae quum ita sint, equidem nequeo Ritschelii (6),

(1) De metris comicis, seu Terentii, aliorumque Comicorum.

(2) De re metrica poëtarum latinorum.

(3) De Canticis Plautinis, Berolini, 1864. Hic, arrepta occasione, maximas gratias ago Guilelmo Friderico Studemundo, doctissimo iuveni, qui hanc opellam ad me perhumaniter, ante hosce quatuor annos, dono misit.

(4) Tantum nunc discrepant eorum (virorum doctorum)... opiniones, totiesque iidem novam de eodem loco protulerunt sententiam, ut difficilius quidquam nequeat excogitari, quam, perpensis omnibus illis, quae in quoque cantico metra Plautus ipse posuerit, explorare. Studemund. op. cit. pag. 2.

(5) V. Gepperti praefationem ad Captivos et Trinummum.

(6) Vide Prolegomena de rationibus criticis, grammaticis, prosodiacis, metricis, emendationis Plautinae, quae accedunt ad Trinummum. Bonnae, Koenig, an. MDCCCLVIII. Ibi initio cap. XVIII (pag. 294) haec Ritschelii verba leguntur: « Plana, simplicia et aperta esse pleraque intellectum est, puto, (sic), quae plerisque omnibus obscura,

Fleckeiseni (1) et Corsseni (2) sententiam satis mirari, contendentium, Comicos romanos metri leges religiose et mordicus sic tenuisse, ut ab iis ne transversum quidem unguem recederent. Qua quidem falsa opinione obcaecatus Ritschelius Plautinos passim versus, uti supra memoravi, ad libidinem reconcinnare non dubitat, vel ordine verborum perturbato, vel, quod multo magis reprehendendum, suppositis saepe vocibus atque integris locutionibus.

Ritschelianae huiusmodi licentiae in Plautinis versibus fingendis luculentum vobis exemplum propono, collegae eruditissimi, ex Mostellaria depromptum.

In scena tertia actus primi huius comoediae, Philolaches quidam iuvenis, prospiciens non visus per semiadapertum ostium, omnia oculis auribusque usurpat, quae a Philematio amica sua et Scapha huius serva in cubiculo fiunt ac dicuntur. Philematium, egregiae formae puella, e balneo modo egressa, capillos sibi fingit, seque studiosius exornat, ut amanti suo placeat. Plautus vero hasce duas feminas ita colloquentes inducit, ut mores utriusque graphice depingantur. Mirum sane quantopere teneantur spectatores tum puellari Philematii candore, eiusque verbis, amoris et benevolentiae plenissimis; tum vaferrimis consiliis Scaphae, vetulae lenae; tum vero subita indi-

perplexa et recondita videri solent, legumque certitudine regi, quae quibusdam vagari sine ratione ».

Quam plane et aperte hanc de metris Plautinis quaestionem expediverit Bonnensis professor, aequis rerum aestimatoribus iudicandum relinquo. Equidem nihil unquam aut implicatius aut obscurius memini me legere.

(1) Vide Epistol. critic. ad Fridericum Ritschelium, quam Fleckeisenus Plautinae editioni Lipsiensi praeposuit an. MDCCCLIX.

(2) V. Corssen, Ueber die Betonung etc. tom. II, pag. 400, 402.

gnatione Philolachis omnia exaudientis! Hinc vero elucet omnino vis illa comica, quam in Sarsinate poëta tantopere laudamus. Fingite igitur vobis, collegae humanissimi, scenam, quae nobis exhibeat Philematium se se exornantem, et Philolachem per ostium introspicientem. Philematium ad Scapham suam conversa ait:

Contempla, amabo, mea Scapha, satin' haec me vestis deceat.
Volo meo placere Philolachi, meo ocello, meo patrono.

Cui Scapha respondet:

Virtute formae id evenit, te ut deceat quidquid habeas.

Philolaches Scaphae verbis mire delectatus, quibus Philematii suae formam laudavit, statuit praemio vetulam donare. Postquam vero mox audit Scapham puellae suadentem, uti meretricium ingenium secuta, non uni Philolachi inserviat, aliosque etiam sibi amatores quaerat; tunc enimvero malesuadam vitilenam indignatus adolescens iurat, se maximam Scaphae poenam esse irrogaturum, et secum ipse ait:

Illa hanc corrumpit mulierem malesuada nunc vitilena.

Italice:

Quella strega d'una mezzana ora corrompe coi suoi cattivi consigli questa donna.

Ad hunc scilicet modum legitur hic versus in optimis Plautinis editionibus tum vetustioris tum recentioris aetatis. In his autem iuvat Bothianam praesertim enumerare. Neque Bothianae huic lectioni adversantur codices manu exarati. Siquidem, ceteris omissis minoris momenti, vetus codex Camerarii habet: malesuadam vitilena;

eiusdem Camerarii codex, quem Decurtatum vocant: malesuada uttilena; codex Vaticanus Ursinianus: malesuada vitilena; codex Lipsiensis: malesuada uti lena.

Attamen neque codicum, neque óptimarum editionum auctoritati acquiescens Ritschelius, plane ex libidine sua ita Plautinum hunc versum evulgavit (1):

Illa hanc corrumpet mulierem malesuada invitam lena.

Unde iam patet, Ritschelium in hunc versum invexisse vocabulum invitam, quod nusquam legitur, deinde pro vitilena posuisse simplicem vocem lena; neque alia causa permotum id fecisse, nisi arcanis illis Plautini metri legibus, quas ipse solus sollertissime perspicit, et quibus doctissimi viri tum antiquissimis temporibus, tum nostra hac aetate omnino refragantur.

Nunc vero operae pretium erit videre, utrum nos deceat vetustissimis codicibus atque optimis editionibus assentiri, an lectionem amplexari, quam Ritschelius, ad excogitandum acutus, ex penu suo licenter depromit. Et primo quidem aio, vocem vitilena, hoc est vitiosa lena, omnino videri ex Plauti ingenio profectam, qui graecos poëtas secutus, saepissime ad caveam hilarandam, nomina usurpat ex duabus aut tribus aut pluribus etiam vocibus conflata; cuiusmodi sunt: Trivenefica, virginisvendonides, nugipolyloquides, nugivendus, vaniloquidorus, aliaque id genus. Qua in re nostis, collegae doctissimi, ad Sarsinatis rationem et Molierium et Goldonium nostrum laudabiliter se composuisse. Quamquam vero haec vox vitilena nullibi apud reliquos

(1) Vide Titi Macci Plauti Mostellariam, Bonnae, MDCCCL; pag. 29.

scriptores legitur; idcirco iure quis dixerit, ex latinae linguae thesauro esse expungendam. Complura enim vocabula, semel aut iterum tantummodo a scriptoribus usurpata qui hodieque manibus nostris teruntur, sexcenties fortasse oculis nostris occurrerent, nisi innumera Romanorum opera tempus nobis invidisset. Praeterea alias passim voces in Latinis offendimus, plane ad huius Plautinae modum conformatas. Ex his quidem unum vitilitigatorem exempli gratia profero, quem, uti ait C. Plinius Secundus (1), ex vitiis et litigatoribus Cato eleganter composuit, ut vitiosum litigatorem significaret, qui nulla iniuria provocatus alios in ius vocat, et lites ex litibus serit. An Catoni novum vocabulum confingere licuit, Plauto non licuit? Ecquid igitur causae erat, cur Ritschelius vitilenam Plauto invideret, qua breviter et significanter recoctam atque improbissimam vetulam expressit, illicitos amores conciliantem, et perversis consiliis puellas corrumpentem?

Sed hisce iam praetermissis, quae Bothianam lectionem strenue tuentur, et cuilibet Plautinae rationis perito facile suadent, in hunc versum aptissime cadere vocem vitilena, venio nunc ad argumentum, quo maximum pondus accessurum confido ad omnem plane dubitationem tollendam. Est nimirum quoddam in scribendo decus; est singularis quaedam et praestantissima cuiuslibet scriptionis virtus, posita praesertim in apta verborum collocatione, quae facilius scribentis sententiam aperit, et gratum orationi numerum conciliat. Haec verborum constructio a Quintiliano (2) aliisque dicendi magistris tantopere laudata,

(1) Hist. Natur. Praefat. sub fin.

(2) De Institutione oratoria I, 5, 15; X, 2, 13. Cf. Auctorem Rhetoric. ad Herennium IV, 12.

pro diverso linguae et scriptoris et rei ingenio, quae tractanda suscipitur, longe alia esse consuevit, neque ad certas quasdam artis regulas exigi potest. Hanc orationis virtutem in scriptoribus romanis tantum sentiunt acerrimi iudicii viri, qui diu multumque in illorum lectione sint versati. Hi videlicet, siquid forte in compositione sit peccatum, celerrime intelligunt, et funditus aspernantur. Et graviter quidem in hoc Mostellariae loco a Ritschelio esse peccatum, elegantiorum aures nullo negotio animadvertent, ubi implexum, impeditum atque abnormem hunc verborum ordinem spectaverint:

Illa hanc corrumpet mulierem malesuada invitam lena.

Ecquis enim confestim non videat, ἐπίθετον invitam, non suo loco positum, Plautino ingenio plane adversari? Nec temere haec a me affirmari quispiam arbitrabitur, qui sciat, comicos poëtas huc in scribendo potissimum spectare, ut, quantum fieri potest, ad quotidianum et familiarem sermonem accedant, qui praeposterum verborum ordinem non recipit. Conferte nunc, collegae sagacissimi, Bothianae lectionis ordinem nativum, facilem atque omnino Plautinum, cum ordine Ritschelianae lectionis artificioso, perturbato, atque a Sarsinatis ratione abhorrentem; nec dubitabitis profecto utra lectio ad veritatem propius accedere videatur.

Et dictis iam illud, mea quidem sententia, planissime conficitur, Plautinnm hunc versum, audaci verborum immutatione a Ritschelio licenter vitiatum, nulla codicum auctoritate fulciri, longe ab optimis quibusque editionibus abesse, nativo dramaticae poësis candori adversari, ipsamque linguam latinam significantissima voce privare, quam praeclarum civis mei ingenium sollertissime procudit.

Verum animadversiones meae in hunc Mostellariae

versum minus sane momenti essent habiturae, nisi ego arrepta occasione notarem, in Plautinis fabulis, quas hactenus Ritschelius evulgavit, innumeros passim locos occurrere, ad germani editoris arbitrium depravatos. Unde iam patet, longissime a veritate aberrasse Martinum Hertzium (1), scribentem, « Friderico Ritschelio non tantum Plauti nomen, sed ipsum Plautum restitutum videri ... eundemque primum docuisse, quibus adiumentis et qua ratione Plauti comoediae recensendae et emendandae sint ». Hanc vero Ritschelii licentiam eo acrius et vehementius reprehendendam arbitror, quod eius vestigiis ingressus Alfredus Fleckeisenus, in Plautinis fabulis, quas Lipsiae edidit anno M . DCCC . LIX, multa audacter immutavit, quae viri elegantes aspernantur ac respuunt. Quemadmodum vero fieri videmus, ut audaciores, vel in re litteraria, facile alios in partes suas trahant; sic sapientes homines, veritatis studiosos, decet summa ope niti, ne prava haec novandi libido invalescat et provehatur. Eo enim ventum est, ut Germani nonnulli in evulgandis romanis scriptoribus nullum iam sibi emendandi modum statuant, et quod cuique libet, id demum licere videatur.

Quum res ita se habeat, nescio equidem quorsum tandem studia nostra sint evasura, nisi adulteratas huiusmodi scriptorum editiones aversati, Germanis tandem suadeamus, nos insulsa variarum lectionum congerie non duci, neque opinionum perversitate sic abripi, ut in rerum novarum aucupio, quam in veritate consectanda laborare malimus.

(1) V. Dissertationis Martini Hertzii de Plauti poëtae nominibus Epimetrum. Vratislaviae, typis officinae Universitatis (W. Friedrich) an. MDCCCLXVII, pag. 6.